



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

§. 12. De Studiositate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

bis tam mirificam paupertatem in
 mundo sectatus es, vt diceret, & verè *Mat. 8. 20*
 diceret: *Vulpes foueas habent, & volu-*
tres cœli nidus: Filius autem hominis
non habet, vbi caput reclinet: tolle à
 nobis per summam bonitatem tuam
 diuitiarū & rerum non necessariarū
 amorem: fac etiam non necessaria si-
 ne solitudine quærere, & animis
 nostris pulcherrimam virtutem pau-
 pertatis sponde, vt qui propter te
 pauperem quidem in hac vita, sed
 pulchram & satis amabilem spon-
 sam eligimus, in alia vita non tantū
 pulchram, sed & diuitem habeamus.
 Amen.

De Studiositate. §. XII.

Studiositas est virtus, qua immodera-
tum appetitum sciendi comprimi-
mus, & animum in discendis necessarijs
incuriosum & negligentem, ad mode-
ratū studiū scientiarū accendimus. Ad
quā hortatur Salomon in Prouerbijs:
Stude, inquit, sapientia, fili mi, & læ-
Pr. 27. 18.

*tifica cor meum, vt possis exprobrante
respondere sermonem.*

Incitamenta ad Studiofitatē sunt:

I. Ex ea parte, qua retundit immoderatum appetitum sciendi, hortatur ad eam scriptura in multis locis. Nā ad hoc faciunt illa: *Altiora ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Multos supplantauit suspicio illorum, (id est, existimatio, qua putabant se intelligere, quæ ignorabant) & in vanitate detinuit sensus eorum. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Non plus sapere, quàm oportet. Et alia similia.*

Ecc. 3. 22.

Ibi. n. 26.

Pr. 25. 27.

Rom. 12. 3.

II. Ex ea verò parte, qua excitat ad necessaria discenda, inducit ad Studiofitatem scientiarum, tum nobilitas, tum utilitas. Nobilitas quidē: quia nihil est post virtutem homine dignius studio litterarū, quod intellectum, præstantissimam potentiam perficit, & volūtatē ad odium mali, & boni amorem accendit. Utilitas verò quoniā in discendo optimè tempus collocat, seipsum in virtute

erit.

erudit, ad alios instruendos aptum reddit, & vita, præcipuè carnis, extinguit. Vnde Hieronymus: *Amascientiam scripturarum, & carnis vitium non amabis.*

Hier. ept.
4. ad
Rust. c. 3.

III. Inducit stultitia negligentia, quam optimè pingit, & irridet Anselmus, sic scribens: *Sunt autem quidam sacrarum scripturarum ignari, & dum aliquid de eis, quod possent ad edificationem sui retinere, audiunt, contemnendo dicunt: Ad quid istud tantillum tenebo? Non ex re tam parua sapiens ero. Cur ergo mihi laborem imponam? Dimittam quiescam, viuam vt potero, quia frustra sapietia amplius studebo, non enim omnes peribunt, qui sapietes non sunt. Hac & his similia piger & insipiens sibi met proponit, nec percipit, quia antiquus hostis ad interitum eius talia sibi suggerit, quatenus in omni vita sua nulli intèdat utilitati, sed in negligentia & torpore semper viuat & pereat. Amplius quoque satis, inquit, sunt sapientes in mundo, satis scriptores, satis qui habent peritiã artium, non est opus, vt ego me discendo fatigem. Præte-*

Anselm. de
simili. c.

154.

N A reat.

rea pueritiam iam exiui, iam senectui
 appropinquo, nec iam possem ad ma-
 gnum scientiæ fructum venire, si modò
 inciperem laborare. Sic secum piger
 tractat, & in sui torporis desidia perse-
 uerat.

Actiões Studiositatis sunt: I.
 Nolle noxia, prohibita, curiosa, &
 inutilia scire, & solam rerum cog-
 nitionem nostro statui & forti conue-
 nientem appetere.

II. Scientiã rebus ad salutem ne-
 cessarijs, aut veræ virtuti nequaquam
 præponere. Sed eam suo in gradu, id
 est post virtutem, & res ad salutem
 necessarias, diligere.

III. Rebus utilibus studere ea di-
 ligentia, qua oportet; eo fine, quo
 oportet; illis locis, temporibus, &
 instrumentis, aut adminiculis, qui-
 bus oportet.

IV. Appetitum sciendi utilia,
 dormituriëntem, aut etiam laban-
 tem, & panè morientem accende-
 re.

V. Non solùm intellectum, sed et-
 iam sensus; tum internos, tum exter-

nos à rerum inutilium aut noxiarum perceptione, solius curiositatis prætextu amata, reprimere.

Postulatio Studiositatis: Domine Iesu Christe, Sapiencia Patris: de quo scriptum est: *Quia proficiebas sapientia, etate, & gratia apud Deum, & homines, non ex eo, quòd sapientia cresceres sed quòd in dies maiora sapientia indicia demonstrares: concede nobis, oramus intentè, studiositatis virtutem, qua hinc curiositatem, hinc negligentiam repellentes quicquid nostræ cognitioni noxium aut inutile est, contemnamus, & nostro statui proficua, & ad salutem nostram & proximorum pertinentia, diligenter inuestigare & scire curemus. Amen.*

De Taciturnitate. §. XIII.

Taciturnitas, est virtus, qua linguã moderantur, & immoderatum loquendi appetitum cohibemus: ne os illicita aut inutilia proferat; & ne vera & vtilia, sine debito modo, aut extra cõueniens tempus edicat. Vel est, iuxta

N s Alber-